LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF

Vater

FÜR HERRN PROFESSOR SCHNEIDEWIN

IN GÖTTINGEN.

Ῥᾴδιοι δ' ἐπαλλαγαί.
Euripides.

Leve divortium cum homine est qui supra se alios posse sapere neget, et propter stultissimam arrogantiam quasi novus Aiax aliis non permiserit secum de Achillis armis certare: sic enim commentationem *Schneidewini* interpretor quam contra me nuper petulantissime scripsit Philol. T. 5. 180 sqq. Cur autem attractis superciliis fronte rugosa instar Aeaci et Rhadamanthi in nos invehitur? cur *πρίει τοὺς ὀδόντας*? nonne quod supra hominem se gerentis *ξυνέστειλα τὴν γνάθον καὶ τὴν ὀφρὺν κατέσπασα*? At me certe ei parcere decebat qui in fragmentis poetarum ante quatuordecim annos primum me civilissime salutabat? Sed nonne in opusculo illo, letronniana crambe repetita, omnem humanitatem plane exuebat et immundissime saeviebat *ἄμουσ' ὑλακτῶν*? Debebat igitur memor esse loci communis: Ab alio expectes alteri quod feceris; ac si illo quidem tempore stolidam istam iactantiam, quae quod non intellexerat acerbissime lacerabat, nondum severe coercui hominem pudere ratus inconsiderantiae et imprudentiae, atque adeo pro simplicitate mea poenas daturum quasi nihil unquam deliquisset erexi: sero quidem cum damno meo cognovi apud ingratos beneficia perdi, memorque proverbii cappadocem plagis fieri meliorem velut in Care experiendum esse duxi, liceatne eum in quo nulla clementia valebat iusto quidem rigore corrigere. Ex quo libenter quaesiverim cur tandem ira incensus furat. Postulabatne ut quidquid ineptiarum profunderet viri docti admirarentur? At libellus schneidewinianus de Septem aeschylea ne ab adulatoribus quidem aut laudari aut praedicari potuit. Talia enim tantummodo iis rident quibus ingenium sterile et iners et *durum* est, et ex hac fortasse cohorte unus vel alter

heu, frustra magnum alterius spectabit acervum!

reliqui enim quibus nares sagaces sunt schneidewiniano cumulo si recte sentio non invidebunt.

Datur autem crimini quod contra eum ipsum scripserim ex cuius dissertatione mihi quidem didascalia franziana primum innotuerit; neque satis mirari potui quod Schneidewin eo nomine *ingratum* erga se *animum* mihi obiicere auderet, qui ipse Letronnio repetitis fragmentis papyraceis mercedem *iniquissimam* dedit, et ut de aliis taceam ipsius didascaliae de qua agitur talia *διδασκάλια* et Franzio et eius bibliopolae rependit, ut ille quidem se praeclarum *εὕρημα* propter Schneidewini importunam sedulitatem perdidisse conqueri possit, hic autem merito affirmet sibi legitimum lucrum iniqua ista sollertia ereptum esse: suspicor enim alios quoque non amplius Franzii libellum expetivisse, postquam ea quae desiderabantur Philologus suppeditavit. Neque negare volui lectoribus eorumque crumenae commodum haud leve nasci e nota illa Schneidewini festinatione, qua

ex Anecdotis aliisque libris novis utilissima quaeque excerpere solet quam citissime et lumina quodammodo effodere: eiusmodi autem velocitatem (de qua vid. Ritschl in epist. ad editorem Philologi de Plauto) ab omni aut editorum aut redemtorum iniuria remotam esse, ego quidem mihi nondum persuadere potui. Sed quidquid est, qui aliorum sudore et felicitate tam astute noverit abuti (si modo sibi emolumentum nascatur), eum non par erat aut aequum aegre ferre quod ipse *δίδακτρον* sibi pro franziano invento, quasi *κριὸς τὰ τροφεῖα*, offerrem meam de Oedipo commentatiunculam, e qua affirmarem multa si voluisset discere potuisse Schneidewinum nisi lectorum iudicio diffidere viderer. At ille velut vesanus ille Spartanorum rex tantum non mihi minatur et occlamare videtur *Ἤδη νῦν κατὰ χαλκοῦ* (scr. *καταχαλκοῦ*) *ὦ Κριὲ τὰ κέρατα ὡς μεγάλῳ κακῷ συνοισόμενος* Eustath. ad Dion. 511 coll. Herodoto 6, 50, 4: quare videat sibi Schneidewin ne quando dicatur *ἐπέξατ' ἄρ' ὁ Κριὸς οὐκ ἀεικέως*, atque cornua illa mihi tam salutaria fuisse, ut et Schneidewinum ipsum et alios eiusdem monetae adversarios sine negotio prostratos castigarem.

Humanitate vero vel eo nomine carere mihi videbatur Schneidewin, quod etiam infelicitatem vel calamitatem meam exagitabat. Cur enim commentationem meam de dramate aeschyleo vocabat Oedipum *kasanensem* vel adeo *kasanatensem* nisi ut me vexaret atque etiam in miserias meas illuderet? quemadmodum olim quoque (*dulce* quidem ridens) praesens meum domicilium in censuris gotting. (1847 n. 56 p. 558 vel 1846 n. 164 p. 1639) salibus suis perfricuit, quasi incredibile esset apud nos boni aliquid edi posse. Neque nego etiam mihi istam *ἐρημίαν* non valde placere; et ubi tantum non getico circumsonor ore marcetque sine adversario virtus (Senec. de prov. 2) ac Dedicit iam pace ducem: ibi vel Seneca (Cons. ad Polyb. extr.) affirmare potest „quam non facile latina (et graeca) ei verba homini succurrant, quem barbarorum inconditus et barbaris quoque humanioribus gravis fremitus circumsonet". Quare non mirarer si ex hac solitudine etiam dictionis elegantia aliquam labem traxisset; sed ingenue fateor quae signis exclamationis et interrogationis aliquoties in dictione latina distinguebat Schneidewin me etiamnum nescire quo consilio vituperentur aut quibus rationibus nitantur; accedit quod verbis meis „quae praeterea obstat quominus una actio fuerit" lingua tantum non pedibus conculcata esse nescio quo iure dicatur p. 184 ab homine, cuius dicendi genus mihi quidem nunquam satis placuit. Sed quidquid est (nam de talibus melius Klotzii et Eckśteinii iudicabunt) cum coactus Kasanum abirem cum Lacone illo cogitabam *Εὖ γε ὦ Τύχη ἐξεῦρες ὅπως καὶ αὕτη ἡ χώρα ἔντιμος γενήσεται*, et *μειδιῶν* in eo loco quo fortuna me collocabat manebam, *συγχαίρων τῇ πατρίδι τριακοσίους κρείττονάς μου πολίτας ἐχούσῃ*: certe illum qui ultimam hanc Thulen nobis crimini vertit, facile patiebar *Lutetiae* (Brunonis) morari quo sensu Nero verbo utebatur prima producta. Accessit denique quod in patria tantundem est propter doctorum multitudinem sive qui ibi consenuerint velut Schneidewin sive in alia regione prodesse litteris praetulerint: in Asia autem nostra vel mediocre ingenium futurae aetati maximum usum praebere potest. Adversarius autem eo artificio videtur usus esse quod lyricis et rhetoribus in *laudandis* hominibus aut civitatibus propter inopiam et sterilitatem argumenti paratum est, velut Simonides „Exigua cum frenaret materia impetum usus poetae more est et licentia, atque interposuit gemina Ledae sidera auctoritatem similis referens gloriae". Itaque quod illi laudabili quidem consilio fecerunt, Schneidewin vice versa in criminandis quoque et lacerandis hominibus aequum et fas esse putabat: quare et praesens nostrum domicilium tetigit et praestantissimum Klotzium eiusque annales utilissimos miscet et Iulium Richterum exterret; quasi arbitratus eiusmodi cavillationibus obliturus esse lectores quae ipse peccavit quaeque nos neque acerbe et sine omni ira exagitavimus. Totum autem meum crimen est quod Cleonem *μέγιστον ὄντα* non extimui, quia putabam solos deos culpae et erroris expertes esse. At ille non solum istam dissertationem allatravit, sed etiam reliqua omnia quae aut scripsi aut ecripturus sum rabie sua laceravit, et ne hoc quidem contentus, velut *Κλεοφῶν ὁ λυροποιὸς* stricto gladio, e civitate litteraria me, vano quidem conatu, expellere studet. Patet igitur *ἢ φρονεῖν δεῖν ἔλασσον ἢ δύνασθαι μεῖζον*, rectiusque secum acturus erat quemadmodum agere solet cum aliis. Itaque si doctissimis

redactoribus annalium philol. et paedag. irascitur quod meam de Oedipo commentationem receperint, recordari debebat incondita opuscula quae ipse in Philologo effudit aut ab aliis missa inseruit. Praeterea redactores vel propter nomen famamque scribentium vel propter reliquas dissertationis virtutes, quaedam inviti quidem recipiunt quae ipsi quidem minus probent et tamen neque delere audeant neque mutare offensionis evitandae causa. At si qui annotationes suas adiiciunt velut Schneidewin, tum culpa etiam ad redactores pertinet. Cur igitur v. c. apud Sophoclem Ai. 431 coniecturam Nauckii (cuius acumen et doctrinam ipse magni facio) *ξυνάσειν* pro *ξυνοίσειν* aliis quidem argumentis impugnabat Schneidewin Philol. T. 2. 148, sed commemorare neglexit futurum *ξυνάσειν* ab usu atticorum alienissimum esse? Cur (*ἵνα μὴ πλείοσιν ἀπέχθωμαι*) Schneidewino non nolente, Düntzero in ultimo qui mihi notus est fasciculo T. 5. 186, restituto in Euripidis Andromeda tetrametro *οἳ κατ' ἄγορον ἀμφὶ δαῖτα καὶ τράπεζαν ἥμενοι*, addere licuit „*metri causa ἀγορᾶν* scribi non potuisse"? quem ridiculum errorem redactor qui ipsi illi dissertationi alibi notulam aspersit non castigavit. Sed otio abuterer si praeter exempla quae statim se obtulerunt alia conquirerem, quorum plurima copia in Philologo est; redactorem autem, qui saepenumero non dubitabat dissertationes a se receptas corrigere atque emendare, aequum erat non neglexisse usum atticorum aut leges metricas, maxime si idem redactor de facilitate aut levitate aliorum conqueritur redactorum (quibus nunquam in mentem venit sibi creditas commentationes recognoscere). Sed quidquid est ne ipsius quidem Schneidewini dissertationes reliquosve libros excipio: nam mihi quidem eius merita non ita fulgent, ut desperem vel a me pleraque omnia quae edidit impugnari posse felicissimo successu, quia aut falsa sunt aut mediocria. Neque enim quidquam praeter curiosam quandam sedulitatem admirari possim; at si de capsula totus aspiret ad altiora, statim titubare eum video et labi. Quae ne temere iecisse videar (quamvis se contemnere mea studia nunc quidem simulet) lectorum et assentatorum eius causa flagito, ut *vel unum folium* in Philologo vel alio quocunque quem edidit libro mihi monstret refutandum (in pluribus enim *ἐπιτηρεῖν τὸ βλάβος* et quasi papulas alienas observare neque otium mihi est neque animus): hoc autem si non ausit, tantum aberit ut principatum philologiae timidus et humilis ad eum deferam, ut vel me cum illo comparari posse existimem, quippe qui sperem fore ut a litteris nostris semper ea aetas absit qua furiosa Clodiorum rabies magna factionis suae cohorte stipata perniciosas suas leges tantum non gladiis praescribebant dissentientibus. Ipse nunquam plausum expetivi, sed volui tamen liquere lectoribus me sentire quae scriberem; itaque argumenta expromsi quibus assequerer, ut alii scirent quid mihi placeret, non ut ego placerem aliis. Itaque etiam nunc rationibus agi volo, propositaque conditione aut vincam Schneidewinum et superabo, aut si folium illud schneidewinianum apud idoneos iudices non potuerim plane redarguere et quasi conterere, ipse non amplius impedimento ero quominus ad Schneidewinum dictatura civitatis philologicae perpetua deferatur. Sed hoc videor mihi requirere posse ut et lectores donec librum propositum acceperim expectent, et ipse Schneidewin siquidem conditionem acceperit me certiorem de libro faciat.

Non ignoro fore quibus *minima* commoda non minimo sectari videamur discrimine et qui Octaviano Augusto duce similes nos esse aiant aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensari possit (neque enim magnum commodum nasci possit prostrato Schneidewino): sed nobis quidem res non admodum difficilis visa est esse et putabamus aliorum gratiam initurum esse qui censoris illius fastum intolerabilem et vanitatem molestam supprimeret: quare publici commodi causa dieculam illi rei impendemus, si forte severo iudicio Schneidewin discat rectius futuro tempore et se et alios aestimare. Sed quidquid est, certe iniquum videbitur esse quod adversarius in responso gravioribus missis plerumque leviora tetigit velut 183 carpsit verba mea, „neque enim soli amantes uno die senescunt, sed in discrimine belli quoque pauci anni seculo aequantur". Usus enim venia, quae Plutarcho Ciceroni et mille aliis conceditur, oratione poetarum luminibus distincta non id egi ut testimoniis Theocriti et Iuliani rem incredibilem *demonstrarem* sed ut *in re per se aperta* et in loco communi sterilitatem sermonis vulgaris locis poetarum exornarem. Nam etiamsi deleantur quae illis

auctoribus de amantibus ieci, certum tamen manet vel sine demonstratione, felicibus citius quam volunt praeterlabi tempus, miseris autem et quotidie aut mortem aut servitutem expectantibus tardam et pene immobilem vel unam noctem videri; hoc enim in communi sensu positum est. Certe praeter plurimos alios sic placuit Sophocli Nauplio apud Stobaeum Flor. 94, 3 *τῷ γὰρ κακῶς πράσσοντι μυρία μία νὺξ ἐστιν*, cuius alterum versum spero a me certo restitutum iri, quando libri mei praesto erunt. Itaque si verum est, urbe ab hoste cincta et tantum nondum capta, exiguum temporis intervallum propter perpetuum timorem mulierculis videri crescere et in immensum extendi; nihil sane erat cur in earundem de Oedipi filiis verbis Sept. 788 *σιδαρονόμῳ διὰ χερί ποτε λαχεῖν κτήματα* propter particulam *ποτέ* supra modum laboraremus: certam enim temporis notam non praebet, atque Oedipus qui nondum sciret quando supremam diem obiturus esset vix aliter loqui poterat, sive olim haec acta erant sive nuper devoverat filios.

Eodem loco thebanae commemorant Oedipi *ἀράς, ἐπικότους τροφὰς* vel *τροφᾶς*, de quibus satis mihi videor dixisse in superiore disputatione: nam Schneidewini *σοφίσματα* in defensione 183 ipsa se redarguunt. Atque in *tragoedia* Aeschyli de ridiculis dirarum causis quae ex epica Thebaide p. 587 ed. didot. afferuntur commode cogitari posse negavi ipse, quanquam nunc constat etiam *Pratinam* similia fudisse. Quis enim a Bergkio monitus amplius dubitabit, quin trimetri apud schol. Oed. col. 1375 e dramate Pratinae fluxerint? Caremus quidem dissertatione viri ingeniosissimi, sed res ipsa opinor loquitur pro verbis *ὡς καὶ ΠΑΡΑΤΙΝΙ ἐκτεθῆναι αὐτὰ πρὸς τὸ γελοιότερον* scribendum esse *ΠΡΑΤΙΝΑΙ* vel *ΠΑΡΑΠΡΑΤΙΝΑΙ*, idemque concessit Nauck Mus. rhen. 1848. T. 6. 461. Quodsi Hermann Opusc. T. 7. 201. et ad Oed. col. p. 219 intacta reliquit verba suspecta, praeter sexcenta alia hoc exemplum documento est, saepenumero ne summos quidem criticos quod ante pedes erat vidisse; sed inventum thesaurum vix ille quidem pro carbone abiecisset, quanquam ipsa grammatici verba *ὡς καὶ Πρατίναν αὐτὰ ἐκτίθεσθαι* (sic enim fertur Bergk emendasse) minore labore restitui posse videbantur. Quid igitur de eo dicamus quod Schneidewin in diar. litt. halens. 1848. m. iul. p. 63 acutissimam emendationem frustra quidem impugnabat? Quodsi turpe est non intellexisse quae aperta sunt, certe aliquanto turpius est monstratum verum aut propter perversitatem iudicii aut aliam ob causam contemsisse. Ipsos autem trimetros (cum tragoediae non possint commode tribui) dramati satyrico assignaverim; et possunt Polynicis esse quo tempore cum Tydeo ad Adrastum venit aut eiusmodi occasione qualis Hypsipyla septem ducibus praebebat motis castris. Sed quanquam scholiasta teste *ἔοικε τὸ τῆς ἱστορίας ἥκειν ἐπὶ πολλούς*, tamen ut monui eiusmodi interpretatio a dramate superstite aliena est, et etiamnum teneo quod olim proposui iram Oedipi irritatam esse „victu quem aedibus inclusus remotusque ab solatio civium habebat.“ Nam *fame laborasse* culpa filiorum regem pristinum Schneidewini acumen sine testibus antiquis aut recentioribus excogitavit; sed tristem ac *μονήρη* vitam non placuisse Oedipo credibile est, atque in hac *ἐρημίᾳ* pro iracundia sua patrem filios *immerentes* devovisse nescio cur ab arte aeschylea alienum esse simulemus. Ac profecto si caeco patri omnia (etiam cibum!) praebebant filii quae merito postulare poterat, nisi quod „magni nominis umbram“ (ut piacula paullatim e memoria civium exciderent) ab aspectu amicorum et solatio removebant: cum id faciebant quod sua maiestas et antiqua superstitio commendarent, tum simul bilem homini iracundo poterant movere qui recuperata paullatim mentis tranquillitate civium sermones expeteret, ita ut (iterum perturbatus hac quam *ille quidem* putabat iniuria) istas diras in filios *insontes* funderet. Denique in verbis Aeschyli 778 *ἐπεὶ δ' ἀρτίφρων ἐγένετο μέλεος ἀθλίων γάμων, ἐπ' ἄλγει δυσφορῶν μαινομένᾳ κραδίᾳ δίδυμα κακὰ ἐτέλεσεν* superest ut contra Schneidewin defens. 182 extr. repetam, Oedipum iam *ἄρτια φρονοῦντα* i. e. conscium piaculorum potuisse quidem gemina ista maleficia (excaecationem et execrationem) etiam *diversa tempestate* committere si sola poetae verba *philologice* aestimentur; sed magis consentaneum esse haec omnia apud Aeschylum *brevi intervallo* diremta fuisse, ita ut Oedipus *γνοὺς ἵν' ἦν κακῶν* et se excaecaverit et cum propter delicta tum foedatae faciei causa inclusus filios *adultos* devoverit, quibus diris Eteocles cogeretur *sine maiore culpa* etiam fratrem expel-

lere ne execratio *cum damno civium* eventum haberet. Quodsi Oedipus e conspectu multitudinis remotus Aeschylo tribui posse negatur in defens. 184 pr. certe *argumenta* desunt quibus assertio vanissima astruatur. Nam quae theologumena aeschylea quidam sibi fingunt et ventosa dogmata quibus musam aeschyleam dehonestant, postremo intolerabilis tutela quam pro Aeschylo suscipiunt; iam saepenumero novo fonte reperto aut lumine iustae interpretationis et testimoniis antea neglectis velut arborum folia quando ventus spirat conciderunt et de fastigio deturbata sunt. Nos quoque admiramur antiquitatem, sed magis amamus atque etiam cum vitiis suis amamus, ita ut toto pectore ei emancipati simus a qua sola morte separari potuerimus: sed *levissimas declamationes* vanissimosque lusus, quibus lectores non satis perspicaces decipiuntur quaeque sine labore scribentibus solis emolumento sunt, plane detestamur. Eiusmodi scripta de trilogiis Sophoclis aut Euripidis, de nexu et compositione carminum pindaricorum aliaque talis commatis peccata non tantum nihil litteris prodesse nobis videntur, sed etiam videndum ne quid detrimenti civitas philologorum capiat si ista factio locum obtinuerit. Virtutes autem et placita summorum poetarum post rectam interpretationem sentiuntur etiamsi non commendentur multis cum ambagibus; et praeterea ii *οἷς τόδ' ἦν μέλον* pleraque omnia laudare et supra modum extollere studebant, ita ut cum Don Quixote cauponam pro pallatio, publicas mulieres pro generosissimis virginibus et gregem ovium pro exercitu hostium venderent.

Praeter ea quae de alteris Oedipi nuptiis allata sunt, poterat etiam comparari schol. Homeri Iliad. 4, 376 *Οἰδίπους ἀποβαλὼν Ἰοκάστην ἐπέγημεν Ἀστυμέδουσαν, ἥτις διέβαλε τοὺς προγόνους ὡς πειράσαντας αὐτήν. ἀγανακτήσας δὲ ἐκεῖνος ἐπηράσατο αὐτοῖς δι' αἵματος παραλαβεῖν τὴν χώραν, καὶ παρέδωκε τὴν βασιλείαν αὐτῶν Ἐτεοκλεῖ ὃς ἐξέβαλε Πολυνείκην τὸν ἀδελφὸν αὑτοῦ ὡς πρεσβύτερος* coll. Eust. ad Iliad. 4. 484 extr. Certe eiusmodi fabulam tragoediae patet aptiorem esse Pausaniae narratione (quacum conferendus Pisander schol. Eurip. Phoen. 1760. p. 338. ubi post Iocastam Oedipus in matrimonium ducit *Εὐρυγάνην* et quatuor liberos procreat): sed *Aeschylum* hoc argumentum ornasse neque proditur neque consentaneum est. Nec aliam nisi vulgarem famam sequitur in Cadmi genealogia Lactantius ad Statii Theb. 3, 286. apud Muncker ad Hygin. Fab. p. 115 „Cadmi Polydorus, Polydori Labdacus, Labdaci Laius, Laii Oedipus, Oedipi et *Sineneae* Antigone, Eteocles, Polynices": nam si pro *et Sineneae* aut *Ismene* aut *et Iocastae Ismene* scripseris quatuor habebis Oedipi liberos notos. Sed quidquid est, si de novo caeci regis matrimonio ne Schneidewin quidem cogitabat (qui nunc confitetur acervo suo non tam actionem aeschyleae Oedipi descriptam esse quam theologumena et tragodumena Aeschyli composita): certe id concedendum erit ei qui *scenam dramatis* rimatur, non commode tragoediam Oedipi nomine nuncupari potuisse *nisi Oedipus ipse vivus adhuc et superstes prodierit.* Praeterea si eiusmodi tragoedia inter Laium et Septem collocata erat, ut monumentum franzianum suadet, etiam id sponte liquere videtur circa exordium fabulae nondum detectis piaculis exhibitum esse Oedipum; atque Schneidewin quoque cum alibi tum in defens. 181 affirmat meum Oedipi argumentum suae non dissimile esse*), quare etiam illo iudice apud Aeschylum *ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ*, atque *in ipso demum dramate ἐγένετ' ἀθλιώτατος.* Hoc autem dato apertum est mea commentatiuncula totam Schneidewini dissertationem plane refutatam esse, quia monstrum Lutetiae Brunonis editum non tragoedia est, sed ut cum Aristotele loquar Poet. 18. 1456, 12 *ἐποποικὸν σύστημα* i. e. *πολύμυθον οἷον εἴ τις τὸν τῆς Ἰλιάδος ὅλον ποιοῖ μῦθον.* Quibus enim praestigiis affirmari potest *e praecedentibus tragoediis* iis qui Septem duces spectabant *notum fuisse* Thebis mortuum esse Oedipum, ante hanc mortem sponte Polynicem Thebis excessise, hereditatis causa revertisse, tum a fratre in exilium actum esse, Adrastum cum exercitu Argivorum urbem cinxisse etc., *nisi haec et alia in Oedipo* (nam Laius etiam minus apta est) *acta fuerant,* quia iudice Schneidewino nulla inter

*) De me scribit „Er begnügt sich trotz allen Umhertappens mit dem *parens* der *vanissimi lusus* den Inhalt des Oedipus auf gleiche Weise festzustellen."

Oedipum et Septem tragoedia interponebatur? Itaque frustra quidem sed non inepte *illum* admonui praecepti Aristotelis „bonae tragoediae actionem *unam* esse“ quod carpitur in defens. 181; ac si negat ibid. 185 se quidquam ex mea disputatione *didicisse*, iudices idonei tarditatem eius mirabuntur ac non dubitabunt quin simul negaverit leges dramaticas sibi satis notas esse. Nam si (ut etiam in defens. 182 contenditur) non *scenas* Oedipi et Laii *disposuisse* Schneidewino placuit, sed id solum agebatur ut patefierent ea quae antea *aut* acta *aut* narrata *aut* in chori cantilenis tacta fuerant eo consilio ut spectatores tertii dramatis poetam intelligerent*): profecto iudicio lectorum mihi diffidere visus fueram, si cum eorum taedio uberius exposuissem quomodo e tragodumenis schneidewinianis ἐποποικὸν σύστημα oriretur. Qui enim Tiresias, si *una* actio circa Oedipi piacula et diras versabatur, *praedicere* potuit *perspicue* ea quae auditores ex Oedipo aut Laio rescivisse iecit Schneidewin? aut quis non videt ea quae adversarius congessit ea tantummodo conditione Oedipo tribui potuisse, si drama per longam annorum seriem et traheretur et extenuaretur? Sed ne nunc quidem in animo est hanc Camarinam movere (ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων), aut vigilanti lectorum naso incommodare (e cloaca illa aeschylea quae Lutetiae aedificata est omnibus purgamentis in lucem productis): sufficit enim unum verbum „Ea quae Septem ducum spectatores ex Oedipo iactantur recordati esse flagitant ut *scena dramatis* usque ad adventum Argivorum Tydeique legationem extendatur“ sive Tydeus ipse prodierit sive nuntius narraverit; tunc autem Polynices et Eteocles adolescentes erant; itaque drama ab eorundem infantia per quindecim fere annos decurreret, ut ineptissima illa hariolatio admitti posset. Sed etiam si qui magis de dramaticis legibus solliciti contra omnem rationem scenam Oedipi (post detecta delicta) circa mortem regis collocarent; tamen etiam nemine monente intelligeretur obitum principis, reditum Polynicis, lites inter fratres de hereditate ortas, exilium Polynicis, adventum Adrasti et reliquorum ducum, legatum Tydeum cinctamque urbem *uni* tragoediae plane non convenire: nam haec quoque maximam partem *agi* oportebat et exhiberi coram spectatoribus, quia *futura* quae omnibus ignota erant tam accurate et perspicue nemo praevidere poterat nisi vates aut deus (qui in nostra quidem causa alienissimi sunt). Itaque talia *tam accurate* aut in dialogo narrata aut tacta fuisse in chori cantilenis incredibile est, quia tempore dramatis ab extrema Oedipi vita usque ad urbis obsidionem prorogato, talia melius *aguntur* quam narrantur. Accedit autem quod Oedipus inter Laium et Septem collocata plane portentosa esset, nisi *spectarent* auditores quomodo a fastigio suo paullatim rex deiiceretur**) et deinde contra se et prolem saeviret;

---

*) „Ein Bild von der Oekonomie der Trilogie in allgemeinen Umrissen wollte ich entwerfen, also den μῦθος, die σύστασις τῶν πραγμάτων, wie sie erzählt vorausgesetzt(?) dargestellt oder in den Chorgesängen berührt sein mussten, damit die Zuschauer des dritten Stücks den Dichter verstehen konnten.“ Neque ego unquam putabam collectanea schneidewiniana imaginem perditae Oedipi posse aequiparare (οὐχ οὕτω μαίνομαι), aut artificiosam actionis censuram nodorumque vocandam esse: sed intellexi quod omnes videbant, digesta et subacta materia quam Schneidewin accumulavit et coacervavit drama nasciturum esse, quod per quindecim minimum annos *ageretur, quia* quae post detecta Oedipi delicta acciderunt tertiae tragoediae spectatoribus tantummodo *ex actione* credibile est innotuisse, si ratio habeatur didascaliae franzianae. Neque unquam concedetur pluvias illas aquas ab adversario collectas non sordere, aut talia a vate vel a deo apud Aeschylum praedicta esse. Nobis qui Euphorionis filium credimus vivo gurgite exundasse, *luteus* ille Aeschyli interpres ὑπηνέμιον ᾠὸν τετοκέναι videbatur, nec quidquam cum Oedipo schneidewiniana comparari potest praeter monodiam Alexandrae apud Lycophronem, cuius similem fuisse tragoediam aeschyleam non maxime consentaneum est.

**) Hoc requirit etiam Schneidewini placitum, qui Philol. T. 3. 353 not. aeschyleos trimetros apud schol. Soph. Oed. R. 733 Oedipo assignet; et quae ibid. de fallaci Oedipi felicitate profunduntur et de intervallo inter Laium et Oedipum, ostendunt Schneidewino quoque iudice secundam tragoediam sub initium monstrasse regem nondum gnarum suorum piaculorum; id quod ille l. l. 354 plane perspicue et recte quidem affirmat.

quis enim *haec* in solis cantilenis tacta aut a colloquentibus narrata fuisse largiri potuerit? sic autem *τὸ ἄλογον* aliquanto cresceret, tragoedia ab infantia Eteoclis usque ad Argivorum adventum devoluta.

Satis nobis virtutes monstri schneidewiniani explicuisse videmur, qui tamen certe in eo aliquid astutiae prodidit quod negavit se posthac rationes peccati sui redditurum esse: nisi id ipsum documento est ne parentem quidem portenti fugisse, nullis argutiis et facetiis causam suam deploratam et desperatam sustineri posse. Avis quaedam quando nulla elabendi spes est caput abscondere solet in dumetis et sic ignara aut capitur aut occiditur: num forte novus quoque ille Pisander quae non amplius dissimulare posset si publice prodiret callide celare studet? At perspicaces sunt philologi et suspicaces; et quemadmodum camelum cui *ὀνοκίνδιος* cognomen erat comici quotannis propter timorem vexabant, sic non deerunt fortasse qui praeter me Schneidewini *ψυχὴν ἢ ζῶντ' ἐκεῖνον προὔλιπεν* magicis artibus evocent, cogantve timidum *κυβιστῆν εἰς τὰς μαχαίρας*. Sic ille quoque qui diu quatiebat impune ab aliis quatietur, et non amplius in iniuriam alicuius sine sua veniet; sic tristem et morosum et superciliosum alienae doctrinae censorem, suae autem caecum admiratorem spernent, atque publicum illum paedagogum ne assis quidem facient. Tandem sentiet suo damno quod Attalus dicebat, malitiam ipsam maximam partem veneni sui bibere; ubi

obsceni tecta domusque
deseruere canes et quidquid nare sagaci
aera non sanum motumque cadavere sentit.

Idem tamen 358 not. fortasse invitus bellum Argivorum *actioni Oedipi* admiscere videtur, et talia de filiabus Oedipi 362 hariolatur quae eas quoque adultas *egisse* flagitent, atque adeo 365 *secundae Oedipi parti* nomen *Argivorum* fuisse suspicatur! sine dubio quia *egerunt*. — Superest ut moneam schneidewiniana sive Collectanea sive Misellanea una cum defensione venenata statim *pone me* futura esse.

Scr. Kasani m. ianuario 1851.

Fr. Vater.

Haec cum circa initium huius anni scripta et in Germaniam ut imprimerentur missa essent, videbatur tamen iis quibus res commendata erat aliquid obstare quominus publicarentur. Itaque adventum meum expectabant, ut nonnulla mitigarem et castigarem. Sed cum homini responderim *aegrotans* postquam duo latrones d. 10 = 22 m. ianuarii me occidere conati sunt, i. e. tali tempore quo *ab omni ira remotus* solas iniurias *repellere* studebam; profecto nescio cur ea mutem quae ne tunc quidem mihi duriora videbantur esse. Et si omen licet capere e conatibus istorum latronum, qui me contra Schneidewinum scribentem adorti sunt et aliquamdiu interruperunt; fortasse etiam illa vulnera quae homo lutetianus inflixit non letalia mihi erunt.

Berolini d. 14 m. septembr. 1851.

Fr. Vater.

Lipsiae, typis J. B. Hirschfeldii.

3 0112 105478215